

8 *Volzii Programma de Historia*

tulit cimeliis. Editus est in lucem Amstelaedami, Anno 1695. libellus, qui epistolas refert non-

confligebatur, qua pugna in prima constitutus acie *Fridericus* hostem aggredi iussus, tam fortiter egit, ut pulso isto mille caperet hostes. Anno 1643. *Rothwillam* obsidione cingebat, vulnere quidem graui faucibus victor tamen euadebat, & vrbe potiebatur, quam captam aduersus *Bavaricum* ducem exercitus *Ioh. de Werth* postea strenue quidem tuebatur, tandem vero reddere illam cogebatur. Defendendae patriae curam post ista habebat, & statione ad *Canstadianum* pontem munita, hostium progressus amoliebatur. Ex Gallia, vbi consilia eius, de nouo milite cogendo, non succedere videbantur, in *Flandriam* se contulit, & *Gravelingae* interfuit obsidioni. *Wilhelmus VI.* *Hassiae* Landgrauus, qui meritas laudes *FridERICI* propius cognoverat, a. 1646. ipsum munere supremi excubiarum praefecti (General - Maior) ornabat, & praefectum urbium *Bucholti* & *Coesfeldae* constituebat. Posthaec nouo suecorum Imperatori *Gustauo Wrangel* erat ad latus. Victoriam tandem *Greuenburgensem* in *Iuliaco* ipsius praecipue virtuti debebant focii, qui victori iam hosti tam fortiter restiterat, ut fugati iamjam *Hassiaci* ad praelium renouandum, victoriamque hosti eripiendam reuocari potuerint. Anno 1656. Ordini, cui ab Elephanto est insigne, a Rege *Daniae* adsciscebatur; a. vero 1670. Supremus rei Armamentariae, praefectus s. peditatus supremus dux, in exercitu imperii Romano Germanici constituebatur. Paci redditus, otio gloriae pleno inter Musas indulgebat Princeps Celsissimus, & placide anno 1682. diem obibat. Ex dictis patet hunc esse sine dubio heroem, de quo l. c. locutus est *Gundlingius*. Non minus idem Vir Celeberrimus, in nominando *Ioh. Friderico*, falsus fuit. Sed incertus